Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 757
Quelle:
Copyright:

aut *Ambrosium Camald.* veteres *Chrysostomi* Traductores referenda sit. Aliam elaboravit *Germ. Brixius* Sec. XVI. quae habetur in edit. lat. *Opp. Chrysostomi Lugd.* 1687. T. V. p. 194. Novam denique dedere *Mauriani* edit. graec. lat. *Paris.* 1718. T. I. p. 362.

V. *fol.* 221. p. 2. *Incipit primus liber de Chayn et Abel sancti Ambrosij mediolanen. episcopi.* Ita: *De paradiso in superioribus pro captu nostro vt potuimus* &c. Sequitur *Liber* II. ut edit. *supracit.* T. I. *col.* 183. sed Codex noster in verbis: *qui mavult peccatoris correctionem quam mortem*, subsistit, nec habet περικοπην illam de *Lamech.*

VI. *fol.* 235. p. 2. *Sermo Eusebij cesarien. episcopi. De corpore et sanguine Domini.* Initium: *Magnitudo celestium beneficiorum angustias humane mentis excedit* &c. et finis: *pijs nos operibus preparare dignetur qui viuit et regnat* &c. In edit. *Opp. Hieronymi Vallars.* T. XI. inter spuria legitur *col.* 255. In veteri Codice S. *Germani* nomen *Isidori* praefert, in nostro inscribitur *Eusebio Caesar.* T. VI. *Biblioth. PP. Lugd.* p. 636. inter *Homilias Eusebii Emisseni* seu *Gallicani* est *n.* V. *de Pascha.* Verum neque huic eam indulget *Oudinus*, sed totum istud *Homiliarium* vindicat *Fausto* ex Abbate *Lerinense* Episcopo *Regiensi* in *Gallia.* Vide T. ejus I. *col.* 1309.

VII. *fol.* 237. p. 2. *Sermo Ambrosij sextus de sacramentis.* Libros hos VI. adpellari posse totidem *Sermones*, dant etiam in *Admonit.* praevia Mauriani T. II. *col.* 348. Praesens ultimus distractus a fratribus incipit: *Sicut verus est filius dei dominus noster ihesus christus* &c. et tamen ad calcem additur: *Explicit opus — de Sacramentis. Henricus de Colonia.* Quod Librarii nomen putem. Tum continuo:

VIII. *fol.* 239. *incipit de paradiso Rubrica.* Aliud *Ambrosii* Opusculum, quod infit: *Et plantauit Deus paradisum in eden* &c. *De paradiso adoriendus sermo non mediocrem nobis estum* &c. Extat *Opp.* T. I. *col.* 145.

IX. *fol.* 255. *Commonitorium palladij.* Ita inscribitur Versio Opusculi περι των της Ινδιας εθνων και των Βραγμανων, quod absque Autoris nomine graece una cum sua interpretatione edidit *Joach. Camerarius* in Lib. *gnomologico Lips.* 1571. 8. quodque hujus editionis ignarus *Palladio* inscriptum reproduxit *Ed. Bissaeus Lond.* 1665. 4. *Palladium* hunc quidam Scriptorem illum *Historiae Lausiacae* Sec. V. habent, *Lambecius* vero Sophistam *Methonaeum* Sec. IV. Neutra tamen firmo talo stat opinio. Versio nostra omnium antiquissima incipit: *Mens tua que discere et multum discere cupit immenso sapiencie amore succensa* (ἡ πολλη φιλοπονια σου, και φιλομαθια, και φιλησοϊα) *eciam aliud nobis opus quod efficere deberemus iniunxit, hoc est bracmanorum consuetudinem uitamque monachorum* &c. Nihil Graecus de *Monachis*, nihil Interpres de φιλησοϊα, qui in univer-